



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. III. De Dispositione necessaria in recipiente Sacramentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

re. 3. Quia res honesta licite peti & accipi potest ab eo qui potest hinc & nunc eam digne prestare, licet praevideatur peccaturus, modo adsit justa causa non impediendi ejus peccatum, ut patet in petente mutuum ab usurario necessitatem. Minister autem toleratus requisitus potest conteri & obtinere absolutionem à Censura. Qui si faciat quod in se est ut eam obtineat, nec tamen obtinere possit; tunc juxta multos non peccabit si requisitus & contritus ministret Sacramentum habenti jus illud petendi, quia tunc tenetur illud ministrare vel ex justitia si sit Pastor, vel ex Charitate si petens sit in necessitate saltem gravi. Si vero male ministret, id ejus malitiae, non petitioni imputandum est: nec charitas obligat ad impediendum cum gravi suo damno peccatum proximi, quod ipsemet potest facile vitare.

CAPUT III.

*De Dispositione necessaria in recipiente
Sacramentum.*

Q. I. **Q**uamnam dispositio requiritur in subiecto ad valorem Sacramenti?

Not. 1. Subjectum Sacramenti est is, qui illud recipit, & est capax ejus effectus recipiendi. Agitur hinc de solis adultis; nam in infantibus & perpetuo amentibus nihil requiritur,

Tom. III.

P

ut pa.

ut patet ex perpetua traditione, & praxi Ecclesie, secundum quam baptizantur infantes. Et verò si necessarius esset aliquis actus propriæ voluntatis, non possent salvari.

Not. 2. Certum est Baptismum susceptum requiri ad valorem aliorum Sacramentorum; tum quia est *fundamentum* & *janua reliquorum*, c. 2. *de cognat. spirit. in 6.* & ex Florent. *Vita spiritualis janua est, per ipsum membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesie.* Tum quia Conc. Nicæn. I. c. 19. statuit ut Clerici invalidè baptizati rebaptizentur, & iterum ordinentur. Idem habetur, c. 1. *de Presbyt. non bapt.*

Resp. In adulto recipiente Sacramentum ad ejus valorem necesse est, ut non habeat voluntatem contrariam ejus receptioni, exceptâ Eucharistiâ, quæ consistit in re permanente, & subsistit extra usum. Constat tum ex sensu, & praxi Ecclesie; tum ex c. *Majores de Bapt.* ubi Innoc. III. ait: *ille verò qui nunquam consentit, seâ penitens contradicit; nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Imò requiritur positiva aliqua voluntas recipiendi Sacramentum, *Ita commun. Prob. 1.* Ex c. 77. *de consecr. dist. 4.* Et ex Conc. Carthag. 4. c. 76. & Araus. I. c. 12. quæ ad Baptismum conferendum ægrotis voluntatem suam significare non valentibus, exigunt testimonium aliorum, quo constet eos prius voluisse baptizari. 2. Ex praxi Ecclesie. 3. Ex Rituali Rom. exigente ad Baptismum adulti desiderium Baptismi.

mi. Quod etiam à fortiori requiritur in aliis Sacramentis, quæ non sunt tam necessaria quam Baptismus. Ratio est institutio Christi, qui convenienter voluit, ut nullus adultus qui rationis usum habuit, sanctitatem vel ejus augmentum acciperet, nisi ipse consentiat in suam sanctificationem; ac proinde noluit ut Sacramenta, quæ ad sanctitatem dandam vel augendam instituit, adulto sine suo consensu valerent; nam ex Trid. sess. 6. c. 7. Justificatio est *sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Hinc S. Thom. 3. p. q. 68. a. 7. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.*

Resp. II. In recipiente Sacramentum ad ejus valorem sufficit intentio habitualis, seu voluntas illud recipiendi præterita, non retractata, exceptis duobus. Prob. 1. Ex Conciliis & Rituali suprâ dictis præcipientibus, ut baptizetur moribundus sensibus & ratione destitutus, modò constet de præterita ejus voluntate. 2. Ex perpetua præxi Ecclesiæ, quæ non reiterat Baptismum & Ordines iis, qui illa susceperunt in mortali & in hæresi, sed cum sola voluntate recipiendi, etsi præterita.

Excipe Pœnitentiam; quia actus Pœnitentis sunt ejus materia; & Matrimonium: quia ad valorem contractûs requiritur consensus saltem virtualis.

Q. 2. *Quenam dispositio requiritur ad effectum Sacramenti?*

Not. Effectus communis omnibus Sacramentis duplex est. 1. est gratia sanctificans, seu habitualis, major vel minor pro dispositione subjecti, & confertur eo instanti, quo Sacramentum sumitur. 2. sunt gratiæ actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti oportuno tempore conferuntur ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti; nisi suscipiens illis se postea indignum reddat peccatis suis, vel obicem ponat; unde vocantur gratiæ Sacramentales. Præter hos effectus tria scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, ideoque iterari nequeunt.

Resp. I. Ad characterem recipiendum sufficit voluntas habitualis recipiendi Sacramentum: nam hæc sufficit ad valorem Sacramenti respectu recipientis: & dispositio quæ sufficit ad valorem Sacramenti, sufficit quoque ad impressionem characteris.

Resp. II. Ad gratiam sanctificantem recipiendam in quinque Sacramentis vivorum, præter intentionem habitualem, requiritur status gratiæ: non autem in aliis duobus, quæ mortuorum dicuntur, nempe Baptismo & Pœnitentiâ, in quibus aliæ dispositiones requiruntur: quia priora instituta sunt ad conferendum augmentum gratiæ sanctificantis, alia verò ad eam dandam: ac proinde priora per se &

se & ex institutione sua, saltem primaria, supponunt & exigunt gratiam jam acceptam ut illam augeant, nam non augetur nisi id quod jam adest: alia verò non.

Hinc qui sibi conscius est peccati mortalis, graviter tenetur sibi gratiæ statum comparare, antequam recipiat Sacramentum vivorum; nam est grave sacrilegium ponere obicem gratiæ; cum enim Christus instituerit Sacramenta ut essent efficaciæ gratiæ signa, qui illa recipit ponendo obicem gratiæ, quantum in se est, inanem & falsam reddit eorum significationem, & abutitur institutione Christi, cui factio suo illudit.

Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis sibi perfecte contritus videatur?

Resp. Id certum est de Eucharistia: de aliis aliqui etiam affirmant, sed longe plures de jure communi negant. Quia 1. Trid. sess. 13. cap. 7. docet solum ob Eucharistiæ perceptionem præcipi Confessionem, nulla factâ mentione aliorum. & sess. 24. c. 1. solum hortatur sponsoles ut ante Matrimonium confiteantur. 2. Ex Pontificali Romano. *Adulti deberent prius peccata confiteri, & postea confirmari; vel saltem peccata quæ admiserunt, doleant: non est autem major obligatio in aliis.* 3. Rituale Roman. dicit solum de Sacerdote mortalis culpæ sibi conscio, *ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde peniteat: sed si habeat copiam Confessarii, &*

temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.
 4. Quia non reperitur tale præceptum divinum, vel humanum saltem commune, in Ordine ad alia Sacramenta suscipienda. Tamen Confessio videtur, ex institutione Christi præponi debere Extremæ-Uinctioni, cum hæc sit Pœnitentiæ complementum. Cæterum cum Sacramentum Pœnitentiæ majorem certitudinem gratiæ, & meliorem dispositionem conferat, sufficiens est causa semper Confessionis præmittendæ; hæcque est communis fidelium praxis.

Resp. III. Ad gratias Actuales Sacramentales, quas nempe Deus singulis Sacramentis ad finem cujusque proprium assequendum annexuit, recipiendas, duo requiruntur. 1. Ut eo tempore, quo homo ea auxilia recepturus est, sit in statu gratiæ; nam hic effectus non datur, nisi ut conjunctus gratiæ sanctificantis; & qui est in peccato redditur indignus supernaturalibus donis: unde in illo statu nullum habet jus ad talia auxilia. 2. Ut is non ponatur obex per dispositionem actualem ipsis repugnantem.

Resp. IV. Præter voluntatem recipiendi Sacramentum, & statum gratiæ, reverentia Sacramento debita exigit devotionem actualem: quæ quantò major erit, tantò uberius fructus percipietur; nam Sacramenta gratiam conferunt secundum propriam cujusque dispositionem. ex Trid. sess. 6. c. 7.